

ret, validas munitiones objecisse. Ferunt ad hæc, his diebus quibus Brixia capta est, Nicolaum Æstensem (quem Florentini ea parte belli suarum copiarum Imperatorem declaraverant) ex Cremonensi agro ingentem prædam egisse. Philippus etsi parum ab initio tanta suscepti belli mole motus videbatur (neque enim domi neque foris aut nova arma, aut supplementa ulla comparaverat, cæterum quascunque copias in Flaminia ad eam diem habuerat, ob stipendium diu non redditum, sine commeatu & quasi soluta militia, in oppida, quæ in ea terra occupaverat, dilabi passus erat) duplici clade intra paucos dies accepta, vehementer cœpit suis rebus timere. Sed nihil illius animum æque ac Brixia amissio turbabat. Audita tamen arcis subjectarumque munitionum retentione, spe urbis postea recuperandæ haudquaquam abjecta, ad auxilia & nova arma comparanda subito convertit animum. Id ille sollicitus atque anxius quærere: quibus, aut quantis copiis primo hostium conatibus iret obviam. Recens ad hæc Alphonsi Regis a Veneto & fociis defectio, in spe bene gerendæ rei non solum eum retinuit, sed vehementer etiam confirmavit. Primum igitur omnium ad Brixiam recuperandam animum adjecit: ac Franciscum Sforciam (quem per eos dies in Flaminia cum paucissimis equitibus Mediolanum accersiverat, ut cum eo de ratione Hetrusci belli loqueretur) continuo suis intra Brixia munitiones laborantibus auxilium ferre jubet. Tradunt alii, Sforciam ipsum in Gallia, non in Flaminia, per id tempus stativa habuisse, auditaque Brixienfium defectione, ad Philippum subito venisse. Constans fama est, omnem Philippi equitatum, qui tum in Cisalpina Gallia fuit, duum millium summam non excessisse. Cum his & alia manu ad tempus comparata, ille in Venetum movit. Alii quadringentos equites non amplius ei datos scribunt. Patebat tunc aditus ad eos, qui in munitionibus erant, quam facillimus, ita ut per se, antequam ulla accepissent præsidia, eruptione nonnunquam ex superiore loco facta, trepidationem ingentem & cædem fecissent.

Cre-

*Philippus
Sforciam
mittit, qui
tueatur ar-
cem.*